



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Domus Æternitatis**

Reserata, Et Ad Ingrediendum Quotidie Memoriæ cogitationibus,  
Intellectûs considerationibus, ac voluntatis affectibus Aperta ; Serviet  
quoque pro Concionibus; uti & pro Exhortationibus, in Agoniae Domini  
Sodalitatibus

Domus Æternitatis Beatae

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Scopus Hujus Partis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50615](#)

# SCOPUS HUJUS PARTIS.

Considerationum de æternis  
Domus beatæ gaudiis, finis  
est I. considerantem, ad rerum ter-  
renarum contemptum, bonorum  
verò æternorum æstimationem,  
suaviter & efficaciter perducere :  
deinde ad spem desideriumque cæ-  
lestis patriæ erigere ; ad cordis pu-  
ritatem, ad animi demissionem, ad  
spiritus fervorem, ad laborum, ad-  
versitatūmque tolerantiam anima-  
re, ac denique ad Domini Deino-  
stri, tanta præmia largientis, & Je-  
su Christi Redemptoris nostri, ea  
nobis promeriti, amorem impelle-  
re; atque ita ad mortem beatam &  
beatitudinem æternam disponere.  
Miros enim effectus parit cælesti-  
um rerum consideratio. *Intellectus*  
*cogitabundus, est principium omnis bo-*

A 2

ni,

## SCOPUS HUJUS PARTIS.

ni, inquit S. Augustinus. Consideratio rerum æternarum, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, ait Doctor mellifluus, L. i. de consid. Videre id est, in Vate Regio; cælestia bona considerante: Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Psal. 83. i. Quam speciosa, quam gloriosa, quam jucunda! Hæc fuit ejus consideratio: ad quam mox in affectum erumpit, adeò ferventem, ut animo penè linquetur: subdit enim: Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. l. c. Imitare, mi Lector, cælum frequenter cogita & considera; cælum ferventer concupisce & desidera, cæli conditorem ardenter ama & lauda, ut eum in cælo amare ac laudare merearis in sæcula.

CON.